ISIDORUS HISPALENSIS

12. bis 13. Jh. Seite 34r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26503
Copyright: Admont, Benediktinerstift

potest. Modo enim ut moneat, modo ut designet, modo ut laudet aut vituperet. Ut moneat: nobilitas est virtutum modo ab posteros de sarcina. Ut designet: apex est ars corporis. Ut laudet: adolescentia est flos etatis. Ut vituperet: divicie sunt brevium longe viaticum. Octava species diffinitionis est quam Greci cata aferesin, ato genentio, Latini per privantiam contrarii eius quod diffinitur dicunt. Bonum est quod malum non est. Iustum est quod iniustum non est, et his similia. Hoc autem genere diffinitionis uti debemus cum contrarium notum est, ut si bonum est quod prodest cum honestate, id quod tale non est malum est. Nona species diffinitionis est quam Greci cata ypotiposin, Latini per quandam imaginationem dicunt, ut Eneas est Veneris et Anchise filius. Hec semper in individuis versatur, que Grece athoma appellantur. Decima species diffinitionis est quam Greci cataelli iesesoloceru homogenus, la-tini per indigentiam pleni ex eodem genere dicunt, ut si queratur quid sit animal, respondeatur ut homo. Rem enim quesitam predictum declaravit exemplum. Hoc est autem proprium diffinitionis, quid illud quod queritur declarare. Undecima species diffinitionis est quam Greci cata analogian, Latini iuxta rationem dicunt, id est per indigentiam pleni ex eodem genere, ut si queratur quid sit thesis, respondeatur questio cuius de est ut sit artis. Duodecima species diffinitionis est quam Greci cata epenon, id est per laudem, ut Tullius pro Cluentio: lex est mens et animus et consilium et sententia civitatis. Et aliter: pax est tranquilla libertas. Fit et per vituperationem quam Greci psogon vocant, ut servitus est postremum malorum omnium non modo bello sed morte quoque repellenda. Terciadecima species diffinitionis est quam Greci kataton posten, Latini ad aliquid vocant, ut est illud: pater est cui filius est, dominus est cui servus. Quartadecima species diffinitionis est catatorisus, ut Cicero in Rethoricis: genus est quod plures amplectitur partes. Item pars est que subest generi. Quintadecima species diffinitionis est quam Greci kata enlogian, Latini per rei rationem vocant, ut dies est sol super terras, nox est sol sub terris. Scire autem debemus predictas species diffinitionum topicis merito esse sociatas, quia inter quedam argumenta sunt posite et nonnullis locis commemorantur in Topicis. Nunc autem ad topica veniamus, que sunt argumentorum sedes, fontes sensuum et origines dictionum.

De topicis

Topica est disciplina inveniendorum argumentorum. Divisio topicorum sive